



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Rosa In Hieme

Mertz, Martin

Antverpiæ, 1627

Capvt V. Beata Virgo apparet ei.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42750

dinis sui ritum Preces (quas Horas Canonicas appellamus) Domino suo solus psalmeret, quod deuotissima semper feruentissimaque mente praestare solebat, Angeli ad eum caelo delapsi alterna cum eo voce eas percurrerent, ac gratissimum chorum constituerent. quod mira ipse simplicitate Magistro suo fassus, dicebat, eos (Angelos intelligebat) ad se venire, Precesque Horarias secum recitare, ac subinde se, subinde verò ipsos citius tardiusque versus absoluere; ut ita alteri alteros, usque dum & ipsi absoluerint, praestolari necesse habeant.

C A P V T V.

Beata Virgo apparet ei.

VILHELMVS itaque ægritudinis tempore impeditus, quod minus statis Chori psalmodiis, quibus cor eliquari senserat, interesset, ne omni spiritus dulcedine, fructuque (ut sibi videbatur) priuaretur destituereturque, saepius Sacellū dextro Chori lateri iunctum (nunc in campanile mutantum visitur) ingredi, ibique Fratres Psalmos percurrentes alacriter attendere, ipse etiam deuotis precibus aut pijs contemplationibus animum suum pascere, cælumque pulsare studuit. **Q**uadam igitur vice sub

F 3 Com-

86 VITA WILHELMI ROTHENSIS
Completorij nocturno decursu illic sacra
coram iconē in genua prouolutō & arden-
tissimē precanti sūstīt se Virgo beata Domi-
na nostra clementissima, alloquitur, famu-
lumque suum mirificè exhilarans, & suprà
quā dici possit cælesti dulcedine inebrians,
mirabile amoris incendium in eius pectore
excitauit, & languore quodam sui longè
quām antē ardenter aeternitatisque vali-
dē vulnerauit; sicque dulciter affectum ac
consolatum dimittens, disparuit. Qua ex re
animus VVILHELMI totus ab humanis
abstractus, in Deū Deiparamq; vnicè sem-
per defixus mansit. Cognouimus autem ist.
hoc ex relatu R.P. Georgij Kurtz Confessarij.

C A P V T V I.

Prædictit obitum suum.

E o die, qui VVILHELMO vltimus in
hoc mundo fuerat, manē, antequam ad
pensum sacrum antemeridianum absolu-
endum accederent, Patres & Fratres ad
eum tamquam moribundum frequentes
coierant, coram eo (vti Ordini mos est)
humi in genua prostrati oraturi: quos
VVILHELMVS intuitus tantum, securos
abire iussit, priusque diuinum Officium
Deo persoluere: non enim iam, sed tunc
primū